

No. 211. 1270. 9. Juni.

Witego genehmigt die von den Domherren Sifrid von Pegau und Conrad von Boruz gemachten Schenkungen mehrerer Grundstücke in Grosszschepe an das Stift Meissen. Vgl. No. 204.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Witego dei gratia Misnensis episcopus, universis Christi fidelibus praesentem litteram inspecturis tam praesentibus quam futuris salutem in omnium salvatore. Quae geruntur in tempore, ut ea nec tollat oblivio, nec temporum pereant intervallo, necesse est, ut scripti testimonio reviviscant. Noverint igitur universi, quod dilecti in Christo dominus Sifridus de Pigauia nec non dominus Conradus de Boruz Misnenses canonici ecclesiae Misnensi nec non eiusdem canonicis utiliter intendentes, tres mansos sitos in villa Schepe, quos dominus Tammo miles dictus de Schassowe ad manus nostras et uxor eiusdem domina Gepa similiter resignavit, solventes annuatim tres marcas et tres lotones argenti ponderis Haynensis in censu cum omni iure et utilitate, silvis, pratis et pascuis et proventibus universis, qui iam dictis tribus mansis insunt vel inesse poterunt in futuro, emerunt pro triginta sex marcis argenti fini ab eodem milite domino Tammone et ab uxore sua et heredibus, accedente nostra voluntate pariter et consensu. Nos vero devotionem praedictorum dominorum sinceriter intuentes, piis eorum affectibus inclinati, hos tres mansos de communi capituli consensu donamus in proprium ecclesiae Misnensi et eiusdem ecclesiae canonicis tam praesentibus quam futuris perpetuo possidendos, relinquentes nihilominus arbitrio ipsorum, ut quilibet de sua portione istius census ordinet in ecclesia dumtaxat Misnensi, quicquid uterque decreverit ordinandum. Insuper dominus Conradus saepe dictus de Boruz per se et de rebus propriis emit a quodam milite domino Heinrico dicto de Burnis et eiusdem heredibus pro viginti quatuor marcis argenti duos mansos, qui quondam dicebantur allodium, sitos in villa supradicta Schepe, quos idem miles a domino Tammone de Schassowe iure habuit feudali, ad cuius manus praefatus miles cum suis heredibus dictum allodium resignavit, et dominus Tammo cum suis heredibus nobis similiter resignavit. Igitur cum iam dictus dominus Conradus hunc contractum ad honorem et utilitatem ecclesiae fecerit, eiusdem moti precibus, habito consilio nostri capituli pariter et consensu, iam dictos mansos annuatim solventes duas marcas in censu ponderis Haynensis et triginta denarios legales cum omni iure et utilitate, silvis videlicet, pratis et pascuis et proventibus universis, qui ipsis iam insunt vel inesse poterunt in futuro, dedimus et in proprium ecclesiae nostrae Misnensi et canonicis eiusdem praesentibus et futuris perpetuo possidendos, ita tamen ut dominus Conradus de Boruz canonicus saepe dictus in ecclesia nostra Misnensi de praefato censu ordinet, quod decreverit ordinandum. Ne autem nostra donatio in posterum ab aliquo nostrorum successorum ex pravis et iniquis perversorum machinationibus aliquatenus infringatur, praesentem litteram conscribi super eo et sigillorum nostri fecimus et capituli munimine roborari. Testes autem huius rei sunt dominus Conradus maior praepositus, dominus Bernhardus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum, magister Johannes noster notarius et